

HISTORIARUM INDICARUM LIBER SEXTUSDECIMUS.

INTER hosce tam varios dubiosque rei Christianæ successus, repentinum & grave apud Ceilanos quoque bellum exarsit. Columbano Regi, qui Cottam pariter insignem obtinebat urbem, tres erant sororis filii, ad quos, de more gentis, hæreditas pertinebat. ii, expetitur ab insita dominandi libidine regnum, senecta avunculi detineri ægre ferentes, facta conjuratione Regem interimunt. inde ita inter se opes & imperium partiuntur, uti natus maximus, nomine Parea Pandar, jus populis e regali solio diceret; minimus, cui Madunio nomen, (medio paucos intra dies extincto) militaribus copiis cum stipendio ac potestate præesset. Ac primo quidem concordibus inter se animis agere visi: mox (ut est omnis dominationis male fida societas) capitales inter utrumque dissensiones exortæ. Queri Madunius, non pro dignitate meritisque tractari se, quippe qui præcipuo periculo & audacia nefariam vim ac sceleratas manus avunculo, cæteris hortantibus, attulisset; magisque sese in dies a Partæ consuetudine rationibusque alienum ostendere at ille novis quotidie sese caputque suum præfidiis adversus fraternas insidias impietatemque munire. inter cætera, cum Lusitano Rege per supplices litteras egit obtinuitque, uti nepotem ex filia, contra consuetudinem, excluso Madunio, in regni successionem jusque adoptaret. Eo acriore incensus ira Madunius, exercitu coacto apertum fratri bellum inferre, Cottanos evastare fines, ad oppidum castra movere non dubitat. Rex item, ne contra latronem ac perduellem, aggere mœnibusque potius, quam armis ac virtute sese tutari videretur; male auspiciato eductis extra oppidum copiis, idoneo confidet loco. Erat in ejus castris auxiliaria Lusitanorum cohors. ex iis gregarius quidam (temere, an a Madunio corruptus, incertum) plumbeo missili sine metu suis obversantem Regem interficit. Tum proceres in urbem extemplo sese recipiunt; nepotemque Pareæ, regiis communi consensu decoratum insignibus, in avita collocant sede. Mox, diffusi adolescentis ætati, ac popularium animis, instante præfertim ac minitante Madunio, novum ab Noronia Prætoris subsidium petunt. Ille sine mora instruit classem: impositisque Lusitanorum millibus admodum tribus, ipsemet eam expeditionem obire constituit. Prætendebatur bello, vetus cum Columbano foedus, & pia pueri pæne circumventi defensio. sed arcana suberat profectiois illecebra, quod a quibusdam pro certo accepisset Prætor, auri argentique thesaurum in urbe Columbo repertum, quo si potitus foret; & Lusitanum crebra erogatione exinanitum ærarium opportune suppleri, & se suosque facili negotio ditari posse confideret. Hac mente consilioque profectus, incolumi classe Columbum defertur,

HI

R 11